DE
AMPUTATIONE RARIUS ADHIBENDA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA LITTERARUM

UNIVERSITATE REGIA FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE ASSEQUENDUM

SCRIPSIT ATQUE

DIE XX. M. FEBRUARII A. MDCCCXLI

PUBLICE DEFENDET

CAROLUS WALTHER.

OPPONENTIBUS:

A. EBERMAIER, MED. STUD.

E. FRIEDLIEB, MED. STUD.

R. DANIELS, MED. CAND.

BONNAE,

TYPIS CAROLI & FRIDERICI KRÜGER.

MDCCCXLI.

HASCE PAGELLAS

GRATO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

DE AMPUTATIONE RARIUS ADHIBENDA.

Pars I.

In quaque operatione, quam medici suscipiendam putant, non ii recte agunt, qui secundum indicationes certas tantum, quae in libris medicis propositae sunt, et in amputando agunt, et de amputandi necessitate iudicant; sed qui insuper valetudinem aegroti individualem, fortunam eius ac modum morbi non negligunt, atque, quam vim operatio in totam aegri valitudinem, habere possit, summa cum cura considerant. Quod quum in quaque operatione, tum maxime in magnorum membrorum amputatione fieri necesse est, qua in re haec cautio neglecta et aegris et medicis summopere nocet. Quare quum tot medici, maxime Francogalli, vel praeiudicio aliquo capti, vel consuetudine

atque amputationis amore moti, tum quoque operationem illam indicatam esse putent, etiamsi aliis remediis externis internisque aegri sanari ac membra tam utilia servari possint, non possumus, quin eos si non levitatis accusemus, tamen non plane perspexisse dicamus, quam vim operatio illa violenta in organismum habeat necesse sit. Iam enim metus, qui amputationem praecedit, et dolor, qui cum ea coniunctus est, aegris summopere nocent ac saepe morborum periculosorum causae fiunt, praesertim, quum iam antea vulnere et dolore magno aegri cruciati sint. Tum si organismi reactionem, quae post hanc operationem existere solet febrimque illam consideramus, quae ex ea manans saepe cum gravissimis inflammationis et nervorum affectionis signis coniuncta est nec raro, licet permagnae sint medici intentiones, aegri interitum adducit; horum omnium si rationem habemus insuperque respicimus, quam magnum membrorum utilium amissio aegris in vita agenda victuque com-

parando adferat detrimentum, sane elucebit quam amputatio periculosa quamque necessarium sit, in ea suscipienda nihil omnino negligere nec nisi tum amputare, quum spem omnem abiecerimus, fore ut membra violata servari possint atque amputatione sola aegrum sanandum esse intellexerimus.

Nec vero, quamquam aegrorum salus hic memoratu maxime digna est, medicorum fama plane negligenda est, quae, si operatio illa, quam medicus ipse summo labore aegro persuaserit, malum eventum habuerit atque aegri mortem adduxerit, in longum tempus, imo saepe in totam vitam deleri potest.

Ac profecto non pauci sunt, quibus, amputatione recusata, sanitas membrorum ac vita mirabilem in modum servata est. Quamquam ossa fracta, ligamenta, vasa, nervi, tendines collisi erant, et summa eorum inflammatio sequebatur, tamen vi naturae medicatrice remediisque vel internis vel externis membra violata reconvaluerunt. Quo quidem factum est, ut alii chirurgi etiam in

summo vitae descrimine amputationem reiicerent, quum alii in omni fere membrorum laceratione atque fractura complicata eam faciendam esse putarent. Hi et illi a veritate aberrant. Casus quosdam, qui amputationem postulant, negare nemo potest, sed paucos tantum eos esse, in hac dissertatione accuratius considerare argumentisque demonstrare conabor.

Pro primo quaerendum esse videtur, quomodo chirurgi per diversa tempora membrana fracta et lacerata curaverint. Quod si accuratius considerabimus, in tres periodos huius curationis historiam dividendam esse intelligemus, quarum prima est.

Ab antiquissimis temporibus usque ad Ambrosium Pareum;

secunda:

Ab Ambrosio Pareo usque ad Bilguerum;

tertia:

A Bilguero usque ad nostrum tempus.

I. Periodus prima.

Quum ab initio homines omnia a daemonibus ipsis effici putarent, fortunae quoque casus, quos experti sunt, divinum quoddam habuerunt morbosque a diis aut irritatis aut reconciliatis afferri tollique opinati sunt; quo factum est, ut medicinam sacerdotes sibi arrogarent, ut qui deorum voluntatem hominibus interpretarentur. Hi cum ad aegros sanandos hoc maxime necessarium esse putarent, ut iis persuasum esset, se sanatum iri, id multis rebus mysticis, sacrificiis, cantibus, oraculis, sympathia effecerunt, verae arti minus studuerunt. Homines autem, arte carentes, quum aut dum feris pugnant aut victum sibi quaerunt, saepissime laedi solent; quare summo iure dici potest, membra quoque fracta et lacerata ab illis non artis, sed naturae vi sola sanata esse. Si-

mili modo Aegyptii, Iudaei, Graeci, Romani usi sunt, in quibus prae ceteris Aesculapius eiusque progenies summo honore affecta et in deos relata est, quorum in templis aegri sanari sanatique imagines membrorum curatorum aureas aut argenteas suspendere soliti sunt.

Item medicinae pater Hippocrates[1]) membra violata non amputatione, sed remediis internis externisque ad sanitatem perduxit. Nam quamquam membra gangraenosa amputari posse memorat, tamen fieri hoc nonnisi tum vult, quum natura ipsa, quod mortuum est membri, ab eo quod sanum est, seiungere velle videatur; quae quidem operatio cum amputatione, qualem nunc excolimus, nullo modo conferenda est, sed, naturam imitans, id, quod illa facit, perficit, accelerat, adiuvat. Nec vero postea per longum tempus medici saepe amputaverunt,

1) Hipp. de articul. p. 831, 832.

sed eos, qui laesi erant, aut fortunae permiserunt, aut remediis externis internisve sanare studuerunt. Amputationem vero timuerunt ob suppurationem nimiam, sanationis spatium longum, cicatricem magnam et foedam, ossis exstantiam, praecipue vero ob periculosam sanguinis profusionem, quam nonnulli remediis crudelissimis, atrocissimis, ferro candente, plumbo liquefacto, cera, resina oleoque cocto,casibus lenissimis alumine aut vitriolo sistere studuerunt. Quam ob rem non raro accidit, ut aegroti vel durante operatione vel breve tempore post eam morerentur. Nec mirum, cum veteres arteriarum deligationem quidem nossent, sed in hac operatione in auxilium vocasse haud videantur torcularisque cognitione penitus carerent. Testes sunt Hippocrates,[1]) Celsus,[2]) Galenus,[3])

---

1) De articul. l. c.

2) Lib. VII. c. XXXIII.

3) Comm. IV. de articul.

Paulus Aegineta,[1]) Abu'l Kasis, Aëtius, etc. quod antiquissimi iam auctores arteriarum deligationem ad haemorrhagias sistendas cognoverint, eamque in aneurysmatibus praecipue sanandis adhibuerint, in membris vero amputandis arteriae vincturam non commemorarint; nec auctorum Graecorum ullus hanc operationem diligenter descripsit.

Celsus est primus auctor, qui de artuum amputatione agat, non ut de nova et illo tempore inaudita vel suae inventionis re, verumvero nullum affert auctoritatem nullumque locum hanc rem probantem. Ipse iam monet,[2]) debere in vivo secari, commemorat tamen, aegros saepe in ipsa operatione vel propter sanguinis profusionem magnam vel animae defectionem mori.

Galenus,[3]) ad celeritatem spectans,

---

1) Lib. IV. c. 19.

2) Celsus lib. VII. Cap. XXXIII.

3) Comm. IV. de articul.

amputationem nonnisi in articulis instituit, sed sanguinis profusionem timens, nonnisi tum, quum remediis aliis externis internisque nihil efficitur, membrum gangraena vitiatum in affecta, non in sana parte praecidit.

Arabes timidi saepe ne gangraenosa quidem membra a corpore seiungere ausi sunt; raro scalpello candente, ut Abu'l Kasis[1]) dicit, membra praeciderunt.

Theodosius a Cervia[2]) solus, methodo Celsi, sanas partes incidit et summa cum cura ac diligentia cavit, ne quid ex aegris partibus relinqueretur, verens, ne hae integras corriperent interficerentque.

Denique Paulus Aegineta, Iohannes de Vigo, Andreas Vesalius,[3]) Fabricius ab Aqua pendente[4]) membra violata remediis externis internisque sanare

1) Chirurg. lib. I. sect. 52.
2) Chirurg. lib. III. c. 10.
3) Chirurg. magna lib. IV.
4) De operat. chirurg. p. 217.

studuerunt et nonnisi summa necessitate urgente amputationem in usum vocarunt, partes quidem aegras, sanguinationem verentes, inciderunt sanisque proxime adhaerentes medicamentis seu ferro candente removerunt. Ita hanc periodum, quae ab uno populo nec orta est, nec excolebatur, eo excellere elucebit, quod a diis et a daemonibus homines se sanari putarent, quod sympathia uterentur, ad medendum remedia externa internaque adhiberent, quod naturae viribus vehementer confiderent, quod membra fracta et collisa, nisi gangraena affecta, non amputarent, quo in casu nos hanc operationem rarissime suscipimus.

II. Periodus secunda.

Quum in magnum humani generis detrimentum pulvere pyrio in pugnis uti coepissent, in sana violatorum membrorum parte secare medici saepe coacti sunt. Qua de

causa medici, praeprimis Francogalli, id spectaverunt, ut amputationem magis excolerent et sanguinationes facilius sedarent. Nam vulnera sclopetorum ac tormentorum, ob glandum celeritatem magnamque earum vim gravissima et valde periculosa, ab omni antiquitate neque observata neque tractata sunt. Etiamsi enim medio aevo variae bombardae ac tormenta usurpabantur, e quibus pilae candentes, lapides, glandes plumbeae eiiciebantur, nullum tamen vestigium pulveris pyrii in eum finem adhibiti ante saeculum decimum quartum occurrit. A medio inde saeculo decimo tertio pulvis pyrius notus, ante saeculum decimum quartum ad proiiciendas glandes plumbeas e tormentis bellicis atque sclopetis adhibitas esse haud videtur. Magna tormenta bellica primi Angli in proelio celeberrimo ad Crecy anno millesimo trecentesimo quadragesimo tertio usurpaverunt.

Quae quomodocunque semet habent, certum omnino est, vulnera ea, quae sclo-

petis ac tormentis inferantur, haud quaquam ante saeculum decimum quintum a medicis ac chirurgis fuisse tractata. Ad ea autem sananda, praeiudicatis opinionibus abiectis, inter alios primus Barthalomaeus Maggius[1]), Parei ut videtur praeceptor, bonam iniit viam. Is venenatam indolem pilarum et combustionem ab iis excitatam negavit. Primum vulnera a sclopetis inflicta ampliavit oramque latius aperiri torundis e Gentianae radice paratis iussit; tum glandes, frustula ferramentorum aliaque corpora peregrina exemit. Quod si membra fuerint fracta, quamlibet festucam extrahi vetat, fasciam praeferens, quae expelleret cum ichoribus corpora peregrina. Hic autem, licet multa correxerit et rarissime amputaverit, tamen, mirabile dictu, finita operatione aut cauterio actuali usus est aut oleo aut aquae ferventi truncam immersit. Admirationem movet sane maximam, quomodo fieri potuerit, ut huic

1) De vulner. bombard. et sclopet. Bononi 1552. 4.

viro docto eiusque contemporaneis in mentem non venerit, vasa dissecta inter amputationem subligare, cum tamen simplicissima experientia omnes de huius simplicis remedii effectu convinci oporteret. Neminem quoque ante Ambrosii Parei memoriam de subligationis arteriarum methodo cogitasse, vix mente comprehendi potest, cum tamen ab arteriarum subligatione ad aneurysmata sananda, ab totius membri adligatione, qua Archigenes ab Apamea iam usus esse dicitur, ad subligationem arteriarum in amputatione gradatim facile progredi potuissent.

De hac operatione maxime meruit Ambrosius Pareus [1]) eo, quod subligationem arteriarum, quas forcipe apprehendit, eduxit et filo duplice circumligavit, primum in usum convertit et descripsit.

Postea, experientia ductus, digito vel duro aliquo corpore in vas imposito sanguinis profusionem sedari posse, Morel-

---

1) Lib. VI. c. 28. p. 221.

lius, chirurgus quidam castrensis, in obsidione oppidi Vesontii anno milesimo septingentesimo septuagesimo quarto torcular invenit.

Maximis sic impedimentis remotis, exiguo periculo operatio illa nunc adhiberi potuit, quo factum est, ut chirurgi praestantissimi, Gallorum imprimis, ab hoc tempore in omnibus fere membrorum fracturis complicatis et cum collisione mollium partium coniunctis, non solum cruris et brachii, sed etiam carpi tarsique, remedio fere unico amputatione uterentur et vim naturae medicatricem et medicamenta alia externa internaque negligerent. Inter multos, qui amputationem mascule defenderunt, sequentes nominari merentur: Paré, Morell, Pétit[1]), Dionis[2]), Lubet, Bordenavius, Morand[3]),

1) Traité des malad. chirurg.

2) Cours d'opér. de chir.

3) Opusc. de chir.

George dela Martinière[1]) et novissimo tempore Boger, Larrey, Dupuytren etc.

Quibus dictis, amputationis abusum, quem in hac periodo locum tenere videmus, Francogallis maximam in partem tribuendum esse elucet. Non solum enim aliarum gentium, sed etiam Francogallorum nonnulli, iique celeberrimi chirurgi, e. g. Bagieu[2]), Ravaton[3]), Boucher[4]), Gervaise, Faure[5]) et alii, nimis saepe amputatum esse dicunt. At vero, quum hoc vituperemus, id quod laudandum est, non praetermittendum esse putamus: Francogalli praeprimis, quorum operandi ingenium solers audaxque sat cognitum est, de amputatione maxime meriti sunt, quod eam, per se iam gravissimis doloribus coniunctam et per lon-

---

1) Mém. de l'Acad. de chir.

2) Deux lettres d'un chirurg. d'armée Paris 1750.

3) Traité des playes d'armes à feu. Paris 1750.

4) Mém. de l'Academie de chirurg. Vol. IV. p. 304.

5) Mém. qui ont concuru pour le prix etc. Vol. I.

gum tempus crudelissime factam, quam lenissimam et simplicissimam reddiderunt. Itaque in eos illud Celsi cadit:

„Vera chirurgia non quidem medicamenta atque victus rationem omittit, sed manu tamen plurimum praestat."

Quum vero chirurgi Francogallici etiam apud externos tum temporis populos summam sibi auctoritatem comparassent, facile intelligitur, in eo quoque, quod de amputandis membris fractis et laceratis senserint, alios populos secutos eos esse e. g. van Gescher[1]), Pott[2]), Monteggia[3]) etc.

III. Periodus tertia.

Primum a Borussicis quibusdam chirurgis melior profecta est et sanior methodus

1) Abhandlung von der Nothwendigkeit der Amput. übers. v. M. Mederer. Wien 1716.

2) Chirurgical Works Lond. 1783. Vol. III

3) Institut. chirurg. Ediz second. 1814. Vol. V.

membra collisa et fracturas complicatas curandi eo, quod in his casibus amputationis indicationes valde diminuerunt, imo plane reiecerunt.

E quibus Iohannes Ulricus Bilguerus[1]), chirurgus venerabilis exercitus Borussici, quum in membris fractis mollibusque partibus collisis medicos amputatione saepe abuti intelligeret, eam libro eo, quem scripsit de membrorum amputatione rarissime administranda et quasi abroganda, quam maxime impugnare ausus est. Quo loco inter alia haec dicit:

„Artus a glandibus plumbeis, globis ferreis similibusque rebus gravissime vulneratos, laceratos et collisos per atrocissimi huius belli tempus admodum frequentes habuimus atque persanavimus non alia, quam dicta illa (§§. XXIV, XXV) ratione, neque unquam adhibita membri amputatione. Atque

1) De membror. amput. etc. Halae 1761.

sanationem hac via et prosecuti et consecuti sumus, etiamsi quam evidentissimus esset, ossa vehementer collisa comminutaque, magna vasa sagnifera perrupta magnamque, carnium molem misere laniatam esse et quamquam et in illis partibus truncatis et in iis perfractis comminutisque fissuras ossium utrinque versus articulos extensas curationem difficilem, suppurationem nimis longam, sanguinis profusionem, inflammationem, tumores, putredinosam corruptionem, gangraenam sphacelumque ac mortem ipsam, pro rerum natura, metuenda esse cernemus."

Idem alio loco:

„Videlicet cum in nosocomia castrensia nostra importatus est aliquis, cui grandioris tormenti globus vel alia causa violenta aut pedem, aut crus, aut manum cubitumve a corpore vel prossus abstraxit, vel adeo perrupit, ut pars illa cum reliquo corpore adhuc quidem, verum interposita exigua carnis cutisque portione cohaereat, sic ut nulla plane spes est, partem ita laceratam cum

corpore glutinari posse, tunc primum in casu quidem postremo exiguam illam cutis et carnis partem abscindimus, partempue inferiorem, inutilem futuram, a superiore plane separamus ac tum in casu utroque fragmenta ossea, forte eminentia et nocitura, ferris ad id adaptatis praecidimus, idemque facimus, sive ossa illa, eorumve fragmenta, firmiter cum trunco membro cohaerent, sive hinc inde quodammodo vacillant. Hoc quidem a nobis ita fieri non negamus. At nemo, speramus, erit, qui hanc discissionem resectionemque pro illa amputandi ratione, quae mogno cultro illo magnaque serra in ipsa integra corporis parte administratur, habebit, aut alteram alteri aequiparabit."

Chirurgus hic venerabilis, quamquam in nullo fere casu amputavit, plurimos tamen gravissime violatos curavit, quorum exempla, quae et ipse expertus erat et ex aliis audiverat, multis locis enarrat.

Similia praecepta secuti sunt Schmuc-

ker[1]), Theden et Mursinna, Bilgueri de patria et exercitu bene meriti collegae; quorum primus, etiamsi glandibus membra lacerata, imo a reliquo corpore seiuncta essent, amputationem tamen necessariam non esse dicit; melius enim glandibus, quam chirurgorum cultris membra seiungi, quod illis in pugnis homines sani, hic in nosocomiis debilitati vulnerarentur.

Eadem Siebold et novissimo tempore multi chirurgorum Germanorum senserunt.

Nec minus multi aliarum gentium Bilguerum imitati sunt. In quibus primus Antonius Portal, qui membris fractis vel collisis nonnisi cum summis vitae periculis amputari posse dixit. Porro secutus est Desault[2]), qui hanc operationem nonnisi in gravissimis ossium comminutionibus et vasorum magnorum ea laesione, ut pars nutriri non posset, in usum vocavit. Qua de re

---

1) Chirurg. Wahrnehmungen. Th. II.

1) Auserlesene chirurgische Schriften.

sententiam suam sic expressit: In amputatione adhibenda sapiens tarditas locum teneat necesse est; amputatio enim ultimum atque anceps est remedium, in qua numerus rerum male gestarum bene gestas valde superat atque felix ipse eventus magno tantum pretio obtinetur. Quum in hac re ars, nimis celeriter sanatura, semper fere mortifera sit, amputatio, nonnisi omnibus aliis remediis frustra adhibitis, statuenda est.

Multi quoque Angli haec praecepta secuti sunt, e. g. Thomas Kirkland[1]), qui membra vehementer violata remediis externis internisque sanare studuit. Is affirmat, quadraginta annis duos sibi duntaxat occurrisse casus, in quibus amputare coactus fuerit.

In magnam quoque partem Bell[2]) amputationem reiiecit et in libro suo, quem de chirurgia scripsit, dixit: Amputatio, quum

---

1) Thoughts on amputat. Lond. 1780. 8.

2) Lehrbuch der Wundarzneikunst Bd. IV.

non solum eos, qui amputantur, summis doloribus cruciet, sed etiam cum magno periculo coniuncta sit, sine dubio in operationum maxime horribilium numero est; quam igitur, nisi medico plane persuasum est, necessariam eam esse, suscipiendam non censeo.

Denique S. Cooper, amputationem a multis in abusum tractam, atque ex ea multo plus damni, quam utilitatis hominibus ortum esse dixit.

Nec vero Belgicorum chirurgorum multi amputatione in membris fractis et laceratis saepe usi sunt. Sic van der Haar [1]), chirurgus castrensis sauciorum membra medicamentis sanare studuit, atque, quod amputationem Francogalli semper adhiberent, causam esse, cur omnes fere amputati perirent, quum e contrario Angli, qui minus saepe amputarent, vigesimum quemque saucium amitterent.

---

1) Korte Verhandeling van de geschotene Wonden. Hertogenbosch 1747. 8.

Secundum eandem sententiam curationem instituerunt ten Haaf[1]) ac Mulder[2]), hic, ut membrum violatum servaretur, exemplo Sabatieri, Parkii et aliorum, partium, in quibus fieri potuit, exstirpationem perfecit.

Quae quum ita sint, hanc chirurgiae periodum in Borussia ortam esse elucebit, cuius medici, de generis humani salute maxime solliciti, ac memores antiqui illius praecepti: medicorum non esse mutilare, sed sanare, summa diligentia id enisi sunt atque elaboraverunt, ut adhibendis aliis remediis et externis et internis amputationem quam maxime abrogarent membraque lacerata servarent. Maxime quoque pharmacologia, nostris temporibus a multis iisque celeberrimis viris ut Moench, Arnemann, Burdach,

1) Verhandeling over de vornaamste Kwelzungen Rotterd. 1781.

2) In H. Wachters dissert. chirurg. de articulis exstirpandis etc.

Hecker, Vogt, Bischoff etc. summa cum cura exculta, amputationem rariorem reddidit.

Hisce expositis de ampatationis indicatione diversissimas esse summorum quoque medicorum sententias quisquis intelliget. Quod quidem, quum tam saepe membra frangantur ac lacerentur, mirum videri possit; sed si rem accuratius consideraverimus, multas profecto inveniemus et magnas difficultates, quibus haec sententiarum diversitas efficitur. Quamobrem mihi de re tam difficili disputanti, quum rara adhuc experientia instructus sim, summopere veniam peto.

Equidem quum horum virorum sententias considerem, et illi, qui semper amputandum esse censent, et hi, qui amputationem reiiciunt, a veritate magis minus aberrare mihi videntur. Prorsus abrogandam esse operationem illam nego, sed raro tantum ac nonnisi in casibus sequentibus adhibendam esse puto.

I. Si membri partes molles eo modo

laceratae et contusae vasaque maiora sic diruta sunt, ut exigua tantum parte cutis carnisque coniungantur, quo fit, ut membrum diutius ali non possit.

II. Si, membro a corpore plane seiuncto, partes molles ossa non tegunt. Attamen etiam in his vulneribus tunc modo amputationem commendo, si corporis valetudo talis est, ut illam non vetet.

III. Si tempus, remedia, fasciae et res aliae deficiunt, quibus ita sanari possit, ut omnes partes serventur ac si membra ipsa ita violata sunt, ut, quum cura ad vitam servandam necessaria adhiberi non possit, iis, quae vulnerationem sequuntur, febri, sanguinis effusione, suppuratione, gangraena etc. vitam amittendi periculum adducatur.

Pars II.

Si vero in iis, quae commemoravi, vulneribus, amputatio non indicata est, ac-

curatissimam curam institui necesse est, qua sola membrum violatum ita servari potest, ut postea aeger eo utatur. Sed quum in hoc libello de illa cura multa dicere propositum mihi non sit, eam tantum commemorabo, quae omnibus eiusmodi vulneribus communis est, eamque transibo, quae singulorum membrorum vulneribus adhibenda est.

Amputatione igitur neglecta regulae ad membra fracta violataque sananda necessapiae hae sunt:

I. Inflammatio, quae vulnerationem sequitur, semper talis sit ac servetur necesse est, qualis ad reunionem ossium et partium mollium idonea est. Initio igitur adfecto loco glaciem aut fomenta ex aqua frigida parata imponenda, salia antiplhogistica et purgantia danda sunt et si natura tum corporis, quum vulneris eam postulet, venaesectio instituenda est. Cibus vulnerati parcus isque e numero vegetabilium sit.

II. Maxima cum cura et ossa et partes molles reuniendae, omnes, quanta fieri potest

cura, partes servandae, eae vero, quae servari non possunt, prudenter removendae sunt.

III. Si inflammatione orta ligamenta, tendines nimis extenduntur, ea, si cura antiphlogistica non fert auxilium, secundum methodum subcutaneam incidenda sunt.

IV. Abscessus quam cellerrime aperiantur et pure remoto purgentur.

V. Si suppuratio fit nimia, alimenta meliora ac remedia roborantia danda sunt.

VI. Partium nimis suppurantium vinctura minime bis quotidie renovetur, aër semper saluber sit et membrum violatum magna cum cura purgetur necesse est.

VII. Maxima tandem cautio ac diligentia adhibenda est, ut membrum violatum sic collocetur, ut lectus semper sit purum, reunio partium vulneratarum iuvetur, decubitus evitetur ac sanato vulnere anchylosi oritura aegroto, quam maxime fieri possit, membri sanati usus servetur.

Pars III.

Observatio prima.

Ioh. Weinreich, septendecim annos natus, e pago Dottendorf, a prima pueritia bona valetudine usus est. Quarta die ante nonas Februarias 1840. machinae rota raptus, atque manu sinistra gravissime vulneratus, Bonnam sese contulit, ubi in clinicum chirurgicum receptus est. Fuit modica corporis statura et habitu bonam valetudinem prae se ferente. Vulneratio manus sinistrae haec fuit: Digiti indicis phalanx prima et secunda plano dorsali usque ad unguem sic laceratae et fractae erant, ut hic et illic parva ossium frustula exstarent, plano tantum volari parva pars cutis integra relicta esset. Praeterea eiusdem digiti phalanx prima a metacarpo paene discissa, digiti medii phalanx secunda fracta eiusque cutis lacerata erat. Digiti quarti planum dorsale non tam gravi modo vulneratum, phalanx autem tertia fracta erat. Digiti quinti planum dorsale articulo laceratum ossis particulam ex-

stantem praebebat. Aderat igitur in hoc casu fractura comminuta et complicata phalangis primae et secundae digiti indicis, fractura complicata phalangis secundae digiti medii, fractura comminuta et complicata phalangis tertiae digiti quarti, et fractura comminuta et complicata phalangis secundae digiti quinti.

Medicus, qui primus grave hoc vulnus viderat, iamiam amputationem digitorum complurium facere voluit, sed Ill. Wutzer in vi medicatrice naturae iuvenilis fiduciam ponens, amputationem non admisit, sed, compluribus ossium frustulis remotis, aliis vero impressis, vulnera sutura sicca et fasciis iunxit, postea usque ad diem quintam fomenta frigida imposuit et aegrotus infusum Sennae comp. c. Natro sulph. ac diaeta antiphlogistica usus est. Primum die quarta, deinde diem e die vinctura renovata est. Vulnus initio telam cellulosam valde luxuriantem praebuit, quo factum est, ut digiti multo crassiores viderentur, qua re mox finita cicatrix celeriter progressa est. Saepe per aliquod

tempus hic et illic in digitis abscessus apparuerunt, e quibus ossium particulae necrosi corruptae remotae sunt. Pluribus hebdomatibus praeterlapsis vulnera sic erant curata, ut, si mobilitas digitorum restituta esset, reconvalescens sinistra manu fere pariter ac dextra uti posset. Anchylosis autem, quae nonnullis articulis aderat, quorum cartilagines erant laesae, vera, in plurimis autem spuria erat, et hisce facultas movendi in tempus verisimiliter omnino redibit.

Observatio secunda.

Ioh. Görgens, e pago Mondorf, viginti annorum iuvenis, sanis parentibus natus est. Ipse imperfectam corporis evolutionem et scrophulosum habitum praebuit, sed usque ad hoc tempus nullo morbo affectus erat, nisi prima pueritia capitis exanthemate, et postea interdum tussi ac spirandi difficultate, quae quidem mala semper mox evanuerunt. Sexta die ante nonas Maias 1840. sclopeto pulveris pyrii vi dirupto gravissime violatus,

eadem die in clinico chirurgico auxilium petivit, ibique receptus est. Manus eius hoc modo vulnerata erat: In plano dorsali et volari vulnus erat duos pollices latum, quod ab interstitio pollicis et digiti indicis incipiens ad ulnam versum erat. Pollex, cuius partes molles maximam ad partem irruptae erant, laxe tantum osse suo metacarpi cum manu cohaesit, digitus index eiusque ossis metacarpi pars maxima, digiti tertii phalanx secunda et tertia ac digiti quarti phalanx tertia plane abruptae erant. Remoto sanguinis coagulo et quatuor arteriis ligatura clausis, toti vulneri linteum carptum impositum et fascia circularis circumvoluta est. Nonnullis diebus praeterlapsis, quum vinctura removeretur, pollex et pars residua digiti tertii sphacelo adfecta erat; quam ob rem digitus tertius et pollex eorumque ossa metarcarpi, et pars residua ossis metacarpi digiti secundi removebantur, quam operationem nullus sanguinis effluxus secutus est. Eo ipso tempore, quo plures partes vulneris

sphacelo adficiebantur, valetudo quoque generalis vulnerati valde mutata est, ciborum appetitus magis magisque diminutus, lingua sicca, rugosa, apice rubra et integumento fusco obducta est, alvus frequens et liquidus, pulsus frequens ac debilis fuit et vires celeriter minutae sunt. Tum haec medicamina data sunt: Dec. Altheae c. extr. Hyosciami, pro potu ordinario mucilaginosa c. acidis, ac tempore vespertino tinctura Thebaic; abdomini ung. Hydr. ciner. infricatum et fomenta aromatica sicca imposita sunt; manus in balneum ex inf. Chamomillae parat. demissa, et vinctura sicca circumdata est. Quibus adhibitis, quum abdomen molle et non dolens factum esset. inf. Chinae et Cascarillae, doses modicae vini rubri et alimenta roborantia data sunt. Quo facto mox vulnus purgatum granulationes multas ac bonas praebuit, quibus mense praeterlapso cicatrix facta est. Hoc modo vulnerato illi manus cum duobus digitis ad usum liberum servata est. (Vid. Tab.)

Vita.

Gribenae, vico Marchiae veteris ad Elbam sito, ego, Carol. Ludovic. Bernhard. Walther, XIV. Cal. Septembr. anni MDCCCX patre Carolo et matre Augusta, e gente Köhler natus et Luthericae confessioni addictus sum. Decimum quartum annum agens Gymnasium Quedlinburgense adii, quod per septem annos frequentavi. Quibus studiis peractis Berolini inter civium academicorum numerum ann. MDCCCXXXI receptus, arti medicinae et chirurgiae per quatuor annos incubui, quo tempore mihi professores fuerunt: Ill. Schlemm in osteologia, splanchnologia, sydesmologia; Cel. Turte in physice, chemia et pharmacia; Ill. Link in historia naturali, botanice et toxicologia; Beat. Wolf in logice et psychologia; Beat. Rudolphi in anatomia universa et practica, physiologia, encyclopaedia; Ill. Fr. Hufeland in semiotice et therapia; Ill. Osann in materia medica; Cel. Kasper in arte formulas medicas concinnandi et medicina forensi; Ill. Kluge de arte fascias imponendi, de

ossium fracturis et luxationibus, de chirurgia generali, de arte obstetricia, de akiurgia; Ill. Hecker in medicinae historia; Ill. Horn in pathologia speciali et morbis syphiliticis; Ill. Ioh. Müller in anatomia pathologica; Ill. Schlemm in operationibus in cadavere exercendis. Exercitationibus clinicis medicis Ill. Wolf, chirurgicis Ill. Rust et Ill. Dieffenbach, chirurgicis ophthalmiatricis Ill. de Graefe interfui.

Deinde per quatuor annos chirurgi militaris munere functus sum. Anno MDCCCXXXIX almam universitatem Fridericiam Guilelmiam Rhenanam adii ibique a clarissimo Mayer rectore magnifico in numerum civium academicorum receptus et a decano clarissimo Wutzer albo gratiosae facultatis medicae inscriptus, per duos annos hasce praelectiones audivi:

Mineralogiam Ill. Nöggerath, Zoologiam et Zootomiam Ill. Goldfuss; Materiam medicam et formulare Ill. E. Bischoff, artem obstetriciam et exercitationes ad phantoma instituendas et clinicum obstetricium Ill. Kilian, clinicum medicum Ill. Nasse et clinicum chirurgicum Ill. Wutzer.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias quam maximas ago.

Theses.

1. *Febris puerperarum est morbus secundarius.*
2. *Methodus exspectativa in removendis secundinis reiecienda est.*
3. *Ad vulnera integumentorum capitis celeriter iungenda sutura circumvoluta praeferenda est.*
4. *Scabiei contagium non est.*
5. *Convulsio est semper symptoma morbi.*
6. *Trepanatio cranii ad curam prophylacticam instituta vituperanda est.*

Explicatio tabulae.

Manus Ioh. Görgens tres menses post vulnerationem delineata, cum vulnere nondum plane sanato.

a. Truncus digiti quarti, phalange tertia amissa;

b. Digitus quintus;

c. Regio dorsalis ossis metarcarpi quinti;

d. Interstitium ossis metacarpi quarti et tertii;

e. Vulnus nondum plane sanatum in regione articuli carpi cum metacarpo ossium pollicis digiti secundi et tertii;

f. Latus radiale;

g. Latus ulnare antibrachii.



g
c
b
e
a
d
f